Opatovii Adami: Quaestio theologica de possibilitate incarnationis Divinarum Personarum.



# QVÆSTIO
# THEOLOGICA.

De poſsibilitate incarnationis Diuinarum Perſonarum,

*Ex 3. D. 1. deſumpta.*

*Et*

In ipſo initio Tertii Sententiarum ad diſputandum propoſita.

Anno Salutis M. DC. XXIV. Ianuarij Die XXIII. Hora XVI.

*A*

*M. ADAMO OPATOVIO, Magiſtri Sententiarum Profeſſore, & ad Sanctæ Annæ Decano,* Procuratore Nowodworsciane

Permiſſu R. D. Decani Facultatis Theologicæ.

CRACOVIÆ,
Ex Officina Franciſci Ceſarij.

# QVÆSTIO.

## THEOLOGICA.

An incarnatio quæ ſecundùm Magiſtrum, eſt viſibilis miſsio æterni verbi in carne aſumpta, & ad cuius efficientiam tres Perſonæ in Diuinis ſunt cooperatæ, eo modo ſit poſſibilis, quod eædem tres Perſonæ, eandem numerò naturam, ſimul aſſumere poſsint, necne?

### CONCLVSIO I.

Incarnatio eſt miſsio Filij in mundum, qui per carnem aſſumptam, nouo modo incæpit eſſe, & hic modus, nullam mutationem ex parte perſonæ miſſæ importat; quia cum vbique ſit, non poteſt huc vel illuc nouiter accedere, ſed ſolum eſt ex parte effectus producti, ſeu creaturæ nouiter illum effectum, recipientis.

# COROLLARIA.

1. *Missio in diuinis, in suo materiali significato, significat originem; de formali solam autoritatē mittentis respectu missi: quæ quidem missio, non secundùm imperium aut consilium, sed secundum originem accipienda.*

2. *PATER qui est principium FILII, dicitur mittere Filium, Pater verò & Filius, quia sunt principium Spiritus sancti, dicuntur mittere Spiritum sanctum.*

3. *Si Pater per absolutam Dei potentiam incarnaretur, illius incarnatio non diceretur missio, nec ipse missus, cùm mittentem non supponat, nam à se est, & à nullo originem sumit. Et in hoc casu eadem persona Patris, quoad diuinam naturam esset innascibilis, quoad humanam assumptam esset nascibilis.*

4. *Missio, non est simpliciter de necessitate incarnationis, sed solùm de necessitate incarnationis Filij, aut Spiritus S. si fuisset incarnatus.*

CON.

## CONCLVSIO II.

Ad efficientiam mysterij incarnationis, tres Personæ in diuinis sunt cooperatæ, sola autem Persona Filij, assumptionem naturæ humanæ terminauit.

## *COROLLARIA.*

*1. Proprium est diuinæ personæ, propter eius infinitatem, vt in illa fiat concursus duarum naturarum secundum substantiam.*

*2. Fatemur totam diuinam naturam esse incarnatam, non quod sit incarnata, quoad omnes personas, sed quia persona incarnata, totam perfectionem naturæ diuinæ in se includit.*

*3. Cum essentia diuina habeat propriam subsistentiam independentem à subsistentia personarum, (nam potius è contra personarum subsistentia ab illa dependet) idcirco asserimus, quod natura diuina terminare poßit humanam, & hæc vnio nō esset ad vnitatem personæ, quia non adest, neque ad vnitatem naturæ, quia naturæ non miscentur, sed esset vnio ad naturam, nam humana natura haberet hanc specialem dependentiam ad essen-*

*tiam diuinam per se subsistentem, quia ab illa reciperet subsistentiam.*

4. *Licet Filiatio non possit sine Paternitate claram sui visionem terminare (quia relatiuorum ea est natura, vt vnum sine alio non possit cognosci) potest tamen realiter vniri humanitati, quamuis eidem Paternitas non vniatur.*

## CONCLVSIO III.

Tres personæ diuinæ, possunt eandem numero naturam assumere, & propriis subsistentiis relatiuis terminare, & sic assumerent hominem, non in vnitate personæ, sed in pluralitate personarum.

## *COROLLARIA.*

1. *Natura diuina virtute sua ex natura rei communicans se tribus personis sine sui multiplicatione virtutem suam infinitam ostendit: natura verò creata, si esset terminata tribus personis, nõ suam sed infinitam Dei potentiam id operantem, testaretur.*

2. *Non potest humanitas ea ratione à tribus personis assumi, vt per eandem vnionem indiuisibilem omni-*

*omnibus vniatur, ſed eſſent tres vniones diuerſæ, quarum vnaquæq; à ſuo termino penderet, quemadmodum ſi DEVS eandem numero albedinem in diuerſis ſubiectis poneret, & ſic haberet diuerſas vniones & inhærentias.*

3. *Humanitas terminata ſubſiſtentia verbi non poteſt ea ratione à reliquis perſonis aſſumi, per quam etiam terminus ſeu perſona verbi aſſumeretur, ſed quia humanitas eſt terminata extrinſeco termino, à quo tamen, quamuis illi ſit coniũctus, eſt diſtincta, & ideo non aſſumpto termino, adhuc natura aſſumi poteſt.*

4. *In tali caſu quod tres perſonæ vnirent ſibi naturam humanam eſſent plures homines ſimpliciter & vnus ſecundum quid.* divina

DEO Opt: Max: in omnem æternitatem gloria.

